Reinii

Jahresbericht

über das

Großherzogliche Karl Friedrichs-Gymnasium

zu Eisenach,

womit

zu der am 29., 30. und 31. März Statt findenden

Hauptprüfung aller Klassen

einladet

der Direktor des Gymnasiums

Dr. **Karl Hermann Funkhänel.**

Rein

Voran gehen:

Guilielmi Reinii, Philosoph. Doctoris, Gymnasii Professoris,

Quaestiones Tullianae cum excursu de comitiorum Romanorum iudiciis.

Eisenach, 1841.

Gedruckt in der privilegirten Buchdruckerei

Quaestiones Tullianae.

Cic. de lege agrar. II, 37.

Inter corruptissimos locos orationum Tullianarum haud scio an nullus sit, qui maiores habeat difficultates et plures dubitationes, quam orationis de lege agrar. II. cap. XXXVII. In codicibus, quos habemus collatos, non magnae insunt lectionis diversitates, ut coniicere possimus, verum huius orationis archetypum iam prisco tempore esse deperditum omnesque libros manuscriptos ex recentiore eoque inquinato fonte originem duxisse. Corruptela excipit corruptelam, difficultas difficultatem, quarum si fortasse unam alteramve vel explicando vel emendando possim removere, faciam periculum. Orator cum exposuisset, legem agrariam a P. Servilio Rullo promulgatam fore perniciosissimam, extrema oratione addit, se Consulem popularem improbis civibus omni vi esse restiturum et populo *pacem, tranquillitatem,*) otium* allaturum. Deinde haec dicit:

> *quae nobis designatis timebatis, ea ne accidere possent, consilio meo ac ratione provisa sunt. Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueritis, verum etiam istos, quibus otiosi negotium facessimus, otiosissimos reddam.*

Sic scripsit Orellius Sigonii coniectura *facessimus* recepta et cum Turnebo explicat: quibus ipsum nostrum otium molestum est, qui nos quiete frui non patiuntur, quae explicatio vulgari longe est praeferenda: quibus nos pacis et quietis amantes molesti sumus, accusando eos et coërcendo, quem intellectum verba non praebent neque si praeberent ferri posset. Omnes codices habent *fecissemus* pro *facessimus*, in eo variant, quod alii legunt *quibus otiosi otium fec.*, alii *quibus otiosi negotium fec.* — Virorum doctorum, qui hanc lectionem reliquendam ducentes alii aliter coniecerunt, perversitates persequi non opus est, cum neque Ernestii emendatio, *quo otiosis negotium facessunt*, neque Schuetzii: *qui vobis otiosis negotium facesserint,* neque Wolfii, *odium* pro *otium* legentis, habeant quo commendentur. Primus, qui coniectura Sigonii relicta codicum vestigia diu

*) In his verbis: Ex quo intelligi Quirites potest, nihil esse tam populare, quam id, quod ego vobis in hunc annum consul popularis affero, pacem, tranquillitatem, otium puto pro tranquillitatem oratorem dixisse libertatem, quia veri simile est, oratorem eadem quae in prooemio orationis erat pollicitus, etiam fine promittere. Initio cum tria posuisset, quae in patrocinium consulatus sint collata (cf. c. IV): pacem externam, libertatem propriam generis ac nominis vestri, otium domesticum, patet etiam in fine hanc sententiam pronuntiasse. Libertatis potissimum utroque loco mentionem facere debebat, quia quominus boni cives otio fruerentur, impediverunt mali cives, qui bonos cives vexarent et oppugnarent. Ut ab his liberi fiant boni, se facturum esse promittit Cicero. Denique in promptu est, quomodo ex voce libertatem facta sit tranquillitatem: librarius enim immemor exordio eadem dici, verbis pacem et otium vocabulum tranquillitatem aptius esse opinabatur, quam quod ante scriptum erat libertatem.

neglectas sequi voluit, erat Klotzius V. Cl., qui locum ita exhibuit: *quibus otiosi otium fecissemus aeque otiosos reddam.* Explicat autem (Cic. Reden II, p. 842): ich will auch die, denen wir, wenn wir die Hände in den Schooss gelegt hätten, Musse gemacht haben wuerden, auf gleiche Weise zur Ruhe bringen; d. h. sogar die, welchen durch unsere Wachsamkeit die Musse entzogen wird, werde ich ruhig machen, quam explicationem me ferre non posse libere fateor. Videtur enim orator sibi ipse contradicere in hac enuntiatione, sive Klotzii sive oratoris verba sequamur. Aut diceret Tullius: quibus vigilantia nostra otium adimam, eos otiosos reddam — at quomodo quis dicere possit, se iisdem hominibus et dare et adimere velle otium? — aut exprimeret: eos otiosos reddam, quibus si otiosi essemus otium praebuissemus — at nescimus, cur cum suo otio illis otium dare possit, alia ratione parare velit? Otium autem se non adhibere velle, quo ad otium illos cogat, ex re ipsa patet, neque favent huic sententiae quae antecedunt vel quae sequuntur, neque si Cicero id in mente habuisset, hoc modo pronuntiasset. Sed verendum est, ne reprehendar, quod verba nimis stricte capiens Klotzii explicationem non recte comprehenderim. Quid? Fortasse sic vult intelligi: *eos reddam otiosos* i. e. vel eos vigilantia mea ad pacem cogam. *quibus otiosi otium feciss.* i. e. quibus, si non vigilantes essemus, dedissemus copiam et potestatem flagitiorum committendorum — sed vigilantes sumus neque mala consilia istos persequi patimur. De cuius explicationis veritate propterea dubito, cum vix credibile sit, Ciceronem voce *otium* in una enuntiatione duplici ac diverso sensu esse usum, ut modo pacem, modo potestatem mala consilia peragendi significet. — Melior est Turnebi sententia: quibus otium nostrum molestum est; sed ne haec quidem inest in verbis *negotium facessimus*, multo minus in verbis, quae codices praebent. Aptissima autem nisi fallor et quam summo opere totus locus postulat sententia haec est: otiosos reddam eos, qui non patiuntur nos otio et pace frui, quorum culpa otium nostrum turbatur et vexatur. Hanc facillima mutatione possumus restituere, si vocabulo *otium* servato legimus pro *otiosi otiosis* et pro *fecissemus* vel *nacti essemus*, vel *deberemus* vel *haberemus* vel tale quid, ut verba *quibus otiosis otium haberemus* id eloquantur, quo h. l. opus est. Quae emendatio si non displicet, intelligimus, quomodo vocabulum *negotium*, quod aliquot codd. habent, ortum sit; facile enim ex compendio scribendi *otiosis otium* fieri potuit *otiosi negotium.* Quod quum librarius scripsisset, alius, ut sententiam redderet magis perspicuam, *haberemus* mutavit in *fecissemus* et sic locum penitus corrupit.

Quae sequitur enuntiatio caret mendis et sententia est plana: alios tumultu sibi comparare divitias, honores, potestates, bonos autem cives libertatis legumque servandarum causa omni ratione otium tenere debere. Deinde pergit orator:

> *Nam, si ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem: sub ipso otio, quo vos fortunam regitis, si hunc statum, quem habetis, esse meliorem non ignoratis, non ut quaesitum, sed vita partum otium tenueritis.*

Comparationem instituit inter homines inertes interque bonos cives, qui otium quidem amant at non desidiae causa tuentur et dicit: si alii propter inertiam otium amant ac tenent, vos multo magis otium tenere debetis, qui non desidiae causa amatis, sed eo consilio, ut reipublicae statum, quem meliorem esse intelligitis, servetis. Illorum otium est *quaesitum*, vestrum autem *vita partum.* Varietates, quae reperiuntur (*et si* pro *si*, *ignorari* pro *ignoratis*, *an quaesitum* et *an non quaesitum* pro *non quaesitum*) minutae sunt; in difficilioribus et gravioribus periodi verbis nullae leguntur. Numero in his vocabula *sub ipso otio*, quae omni ratione

carent. Quid enim est: *gerade in der Musse*, quum accuratius ante non sit descriptum. Huc accedit insolens vocis *otium* repetitio *sub ipso otio, quo vos — sed vita partum otium tenueritis.* Deinde praeter scriptorum consuetudinem dictum est *fortunam regitis*, neque similibus exemplis potest illustrari; tum mira est locutio *vita partum*, quod num pro *vitae periculo comparatum* dici potuerit facile quis dubitet. Sed tamen utrumque servamus, cum cur falsum sit loquendi genus doceri nequeat. Quomodo posterius intelligendum sit, significavit orator cap. IV huius orationis: *quid tam populare quam otium? quod ita iucundum est, ut et vos et maiores vestri et fortissimus quisque vir maximos labores suspiciendos putet, ut aliquando in otio possit esse* cett. Reliqua autem est difficultas in verbis *sub ipso otio*, quae orta esse suspicor ex adiectivo aliquo deperdito, quo significaverat orator, quale fuerit illud otium, quo boni fruerentur. Temporis iniuria mutilatum erat h. l. vetus manuscriptum, ut posterior manus ex paucis vestigiis verba, quae nunc habemus, expleverit. Fortasse dixit Cicero *saluberrimo reipublicae otio*, qua coniectura sensum putamus restitutum, quamquam non negamus, aliud vocabulum excogitari posse, quod apertius etiam quam quod mihi in mentem venit Ciceronis vestigia servet. Postremo non possum non dubitationem meam proferre de vocabulis *non ut quaesitum*, quae tam nude et absolute posita sunt, ut deesse aliquid videatur, quo accuratius definiantur. Haec enim verba ad eos referenda esse, qui desidiae causa otium quaerunt nullum est dubium; sed tamen interrogamus, quomodo sit quaesitum, cum etiam bonorum civium otium, quod *vita partum* est, possit dici *quaesitum*. Quae cum ita sint et cum in h. l. codices varient *(an, an non quaes.)* coniicio omissum esse aliquid, ut *omni vi quaes.*, quod propter sequens *vita* et propter varietatem lectionis *an non* mihi videbatur veri simile. Sic inertium hominum otium dicitur *omni vi quaesitum*, bonorum autem civium vel *vita partum*, quod multo fortius est.

Denique sequitur periodus multis magnisque difficultatibus laborans, qua Cicero pronuntiat, se omnino otio praevidisse. Describimus lectionem vulgatam quam repetivit Orellius:

> *Quod ego et concordia, quam mihi constitui cum collega, invitissimis iis hominibus, quos in consulatu inimicos esse et animis et corporis actibus, providi: omnibus prospexi sane et revocavi. Idem tribunis plebis denuntiavi, ne quid turbulenti me consule conflarent.*

Variae codicum lectiones neque hoc loco ea sunt, ut ex iis vera lectio possit componi; demonstrant modo, hanc orationem iam prisco tempore mendis esse inquinatam. Vel Erfurtensis manifeste falsa habet: *invictissimis esse hominibus, quos vos in consulatu inimico esse — sane revocavi. Quos vos* habent etiam Mss. Pith. et Pal prim. *Et* deest in Pith. Quae editores mutarunt, perstringere inutile erit, quare statim meam sententiam interponam. Orator rem distribuit in duo membra, quorum prius demonstrat, quomodo Cicero ope collegae omnia procuraverit, quibus ad pacem retinendam opus fuerit, posterius quomodo alios quorum audacia fuerit timenda, impediverit et coërcuerit. Prius membrum incipit his verbis *et concordia* cett., posterius *idem tribunis* cett., ut tota enuntiatio anacoluthiae speciem prae se ferat, quamquam *et* et *idem* sibi respondent. Prior autem pars sententiae — nam posterior integra est et vitiorum expers — defendi potest anacolutho in auxilium vocato, ea ratione, ut quum orator dixisset *providi*, immemor hoc verbum ad obiectum suum *quos in consulatu* cett. non ad pronomen *quod* initio positum, pertinere, accuratioris definitionis causa adderet *omnibus prospexi sane et revocavi*. Quod si verum non est, censendum, in libris post voces *et concordia* omissum esse verbum ad *quod* pertinens, ut *providi* aut tale quid. Repetitio huius verbi *providi* erat causa, cur priori loco interciderit, dummodo sumamus, librarii, qui exemplar

vetustum describeret, oculos a priori ad posterius aberasse et sic prius omisisse. Ante *Idem* plene interpunxerunt, cum non viderent, *et* et *idem* sibi respondere. Structuras liberiores (vide Brut. 14. de orat. II, 78. Madvigii emendatt. in Cic. I, p. 188. 199. Beier. ad or. p. Tull. p. 53) haud raras esse apud Ciceronem neminem fugit, quare unum tantum describam exemplum huic loco simillimum. Legitur de div. I, 55, 126. (ex recensione Giesiana): *Ita fit, ut e t observatione notari possit, quae res quamcunque causam plerumque consequatur (etiam si non semper: nam id quidem difficile est affirmare): e a s d e m q u e causas verisimiles* (Orell. *verisimile est*) *rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas, aut in quiete videant.* Propter verba interposita *etiamsi — affirmare,* quae scriptori mutandae constructionis dederant occasionem, VV. DD. *et* sequenti *idem* respondere et utrumque membrum unam proprie efficere enuntiationem non intelligentes ante *easdem* interpunxerunt. Giesius autem primus optima scriptura ex libris manuscriptis restituta membra periodi recte divisit.

---

pro Mur. 32.

Dixisti senatus consultum, me referente, esse factum, SI MERCEDE CONDUCTI OB VIAM CANDIDATIS ISSENT, SI CONDUCTI SECTARENTUR, SI GLADIATORIBUS VOLGO LOCUS TRIBUTIM, ET ITEM PRANDIA SI VOLGO ESSENT DATA, CONTRA LEGEM CALPURNIAM FACTUM VIDERI. *Ergo ita senatus si iudicat contra legem facta haec videri, s i f a c t a s i n t, d e c e r n i t, q u o d n i h i l o p u s e s t, d u m c a n d i d a t i s m o r e m g e r i t. Nam factum sit nec ne vehementer quaeritur cett.*

Vir doctissimus isque mihi amicissimus cum se verba *decernit quod nihil opus est, dum candidatis morem gerit* intelligere negasset (nescire enim se professus est, quomodo SCons. decreverit, quod non opus fuerit et quomodo candidatis, adversus quos SCons. erat datum, morem gesserit) et corruptelam inesse suspicaretur, iterum ac saepius inspexi locum, donec sequentia cum superioribus conferendo omnia recte se habere intelligerem. Quae dum scribo, spero fore ut ille perlecta hac quaestione non amplius de loci integritate dubitet et mecum consentiat, locum explicatione potius quam emendatione esse adiuvandum. Notum est, Tullio consule senatus consultum contra ambitum esse factum, cuius fragmentum supra exponit orator, ad quod scons. provocaverat M. Cato L. Murenae accusator. Huic sconsulto aut statim aut postea — veri similius est statim factum esse, cum duplicis sconsulti nulla fiat mentio — candidatis postulantibus pauca verba sunt addita: *si facta sint.* Addita esse interpretes adhuc non viderunt, sed colligi potest ex verbis *decernit, quod nihil opus est* cett. et *Atque id decernitur omnibus postulantibus candidatis,* quae omni ratione carerent, nisi referenda essent ad voces *si facta sint.* Quare has voces a typographis literis maiusculis, quibus sconsulti verba designentur, erunt describenda SI FACTA SINT. Quod si statuimus, omnes difficultates evanescunt. Utitur enim Cicero hoc additamento, ut adversarium doceat et impellat, ante probandum esse, ea facta esse, quae sconsulto vetita sint. Plane superfluum quidem, adeo ridiculum erat, ut pergit orator, haec verba addi, cum iam per se pateat, neminem posse puniri, nisi factum idoneis argumentis ab accusatore probatis probatum sit. At scripta sunt, cum candidati peterent, ut adderentur verba, fortasse quo magis praesidii haberent contra calumniatorum accusationes, quas iam illa aetate magnopere metuendas fuisse neminem fugit. Qui fuerint ut hoc adderetur postulantes et num suum in commodum an ut aliis noceretur postulaverint, coniectura persequi non possumus, addita esse illa verba non dubitamus. Totius igi-

tur periodi sententia est: Me consule sconsulto addita sunt verba *si facta sint*, quod additamentum ridiculum est neque necessarium; verum enim vero, cum illa in lege scripta sint, eo magis a te postulo, ut quae dixeris de Murenae ambitu, argumentis probes et testimoniis quam firmissimis.

---

ep. ad divers. III, 11.

Nec tam gloriosum exitum tui iudicii exstitisse, sed tam pravam inimicorum tuorum mentem fuisse mirabar. De ambitu vero quid interest, inquies, an de maiestate? Ad rem nihil: alterum enim non attigisti, alteram auxisti. Verum tamen est maiestas, *etsi Sulla voluit, ne in quemvis impune declamari liceret.*

App. Claudius Pulcher ex Asia redux a Dolabella Ciceronis socero primum maiestatis et paullo post ambitus accusatus est, Q. Hortensio autem et M. Bruto defendentibus absolutus. Cum maiestatis esset absolutus, — cur accusatus fuerit, a scriptoribus memoriae non traditum est, fortasse in provincia, quam post ipsum administravit Cicero, iniussu populi vel fines transgressus vel auctoritatem magistratus non servans maiestatem populi Romani minuerat — Cicero ut gratularetur hanc epistolam misit, ex qua locum supra positum descripsi. In quo loco duplex est difficultas, verba enim *de ambitu vero* cett. explicatione haud indigna sunt, deinde *Verum tamen est maiestas* non satis sana leguntur. Priorem enuntiationem ita explicat Schuetzius, ut ante verba *de ambitu* cett. haec intercidisse opinetur: quamquam multo magis eorum temeritatem miror, quod de ambitu, quam quod de maiestate te accusarunt. Sic dicere potuisse Tullium non nego, sed idonea ratio, cur haec omissa sint, non potest excogitari, neque reliqua verba Ciceronis habent quidquam, quo confirmetur supplementum a Schuetzio excogitatum. Simplicissima interpretatio videtur haec esse: Cicero cum de maiestatis absolutione gratulatus esset, addit se non mirari Claudii absolutionem, sed in universum mirari pravitatem accusatorum, qui non contenti Claudium maiestatis accusasse, ambitus quoque crimen ipsi obtulerint. Ad haec respondet Claudius — ut Cicero opinatur —: quid intersit nescio, non maior est adversariorum pravitas, quod duplicis criminis me accusarunt, nam similia sunt crimina maiestatis et ambitus. Quam sententiam optime excipiunt quae sequuntur verba: *Ad rem nihil* cett. Haec interpretatio mihi magis placet, quam alia, quae ante composui, ut explicarem, Appium Claudium respondere potuisse: haec absolutio non magni est aestimanda, cum restet de ambitu iudicium; Ciceronem autem ut consolaretur Appium et confirmaret modo dicta addidisse: quamquam tu non magnum discrimen statuis ambitusque accusationem magis adhuc times; interest summum discrimen, quod maiestatis crimen est difficilius et gravius, quam ambitus.

Transeamus ad verba *verumtamen est maiestas, etsi Sulla voluit, ne in quemvis impune declamari liceret,* quae habet cod. Medic., quem optimum et unicum esse omnibus probavit Orellius. Reliquorum codicum varias lectiones h. l. non magis aestimamus, quia aperte depravatae sunt, sic Palat. I. Graev. Amst. Mentel. Dresd. I et II habent *et sis nulla voluit,* Dresd. IV et V *etsi ulla vol.* Sed tamen Schnetzius his duci se passus nomen Sullae ex corruptela natum putavit et nimis audacter scripsit: *verum tamen ea est maiestatis vis et sic involuta, ut in quemvis impunite declamari liceret.* Omissa codicis Med. auctoritate semper mihi obscurum fuit, quomodo librarius in Sullae nomen, nisi ante in codice legisset, incidisset et in exemplar suum recepisset. Aptissima autem est Sullae mentio, quia ex lege Cornelia de maiestate, quam dederat Sulla, accusatus est App. Claudius. Hoc intellexit Lambinus, quamquam in reliquis a vero aberravit, ut ei obtemperare non possimus legenti: *verumtamen ea est ma-*

iestas, ut Sulla voluit, ut in quemvis impun. decl. lic. Sulla enim legum gravissimarum de criminibus publicis lator et auctor, qui non solum singula delicta accurate describeret, sed etiam formam exercendorum iudiciorum moderaretur, minime dedit impune accusandi licentiam, neque probabile est, Tullium legum Corneliarum haud adversarium hoc modo reprehensorem illorum exsistere, ut liberum calumniandi arbitrium cuivis in his permissum esse dicat. Quare nomen *Sullae* retinemus, reprehensionem a Tullio originem ducere negamus. Sed quid statuendum erit de prioribus verbis *verumtamen est maiestas,* quae non possunt ita scripta esse a Tullio? Nam etiamsi libenter concedamus, epistolae scriptorem non ita ut oratorem omnia distincte et accurate definire, sed legenti relinquere, quae ipse intelligat et cogitando adiiciat sensa — cuius rei exemplum vidimus in verbis antecedentibus *Nec tam gloriosum* — *De ambitu* cett. — nullo modo verba potuisse omittere, quae ad intellectum totius periodi tam necessaria sunt, ut iis sine sententiae incommodo carere nequeamus, habemus persuasum. Quare ut emendatione huic loco succuramus opus est. Duplex patet via, aut lacuna post *verumtamen* est statuenda, aut *verumtamen* pro corrupto habendum. Si prior ratio magis placet, non alienum esse putaverim a Ciceronis manu *verumtamen varia est maiestas* i. e. tot continet crimina, ut facile quis maiestatis retibus possit implicari, *ambitus vero ita apertam vim habet, ut aut accusetur improbe aut defendatur.* Si altera ratio videtur praeferenda, fortasse in vocabulo *verumtamen* vitium latet, cum olim fuisset scriptum: *verum ambigua est maiestas,* ex qua lectione *verumtamen* fieri poterat. Sed tamen magis probabile est, vocem *varia* propter antecedens *verumtamen,* quae verba similes habent literas *var* et *ver,* a librario omissam, quam *verumtamen* particulam corruptam esse, praesertim cum hoc loco sit aptissima. Quare *verumtamen varia est maiestas* quam *verum ambigua est m.* scribi maluerim.

De comitiorum Romanorum iudiciis.

Cic. de rep. II, 31 *Idemque* (P. Valerius), *in quo fuit Publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. Provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri; significant nostri etiam augurales: itemque ab omni iudicio poenaque provocari licere, indicant XII tabulae compluribus legibus* cett.

de rep. I, 40 *Ergo etiam illud vides — Tarquinio exacto mira quadam exsultasse populum insolentia libertatis: tum exacti in exsilium innocentes — tum provocationes omnium rerum, tum secessio plebis, tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia.*

de rep. II, 36 *quod se legem illam praeclaram neglecturum negaret, quae de capite civis Romani nisi comitiis centuriatis statui vetaret.* cf. de leg. III, 4. 19. p. Sest. 30. 34.

Haec de populi iudiciis disputatio intime cohaerens est et coniuncta cum quaestione de provocatione. Duplex enim est iudiciorum genus: in aliis quaeritur de criminibus, quae pro iure suo ac conditione iudex debet diiudicare, in aliis nonnisi provocatione interposita instituitur quaestio,

quae ab inferiori iudicio ad superius delata est. Utroque munere funguntur pauca iudicia, in quibus numeranda sunt comitia pop. Rom., quae cum prisco tempore de provocatione tantum iudicassent, postea omnes causas capitales discernendi acceperunt ius et facultatem. Legibus enim post reges expulsos, quo firmiora caput et vita civium Rom. haberent praesidia, sancitum est, ut comitia non solum si provocatum esset, sed de omnibus, quae ad caput civis pertinerent, causis ferrent iudicium. Ex provocatione igitur manarunt tanquam ex fonte iudicia populi capitalia; quare primum agendum erit de provocatione, deinde de iudiciis capitalibus in universum.

Provocationem iam regum aetate valuisse extra omne dubium ponit Tullius noster verbis supra laudatis (de rep. II, 31.) *a regibus fuisse provoc.*, neque a Tullo Hostilio demum introductam (hoc voluerunt Heyne de ind. publ. in opusc. Tom. IV, p. 54; van der Hoop de iis, qui antiquitus de criminibus apud Rom. cognoverunt in Meerman. Thes. VIII, p. 612; v. Walre de antiqua iuris puniendi condit. apud Roman. p. 27 sq. et nuper Rubino in Untersuchungen über Roem. Verfassung u. Geschichte I, p. 431. 472.), sed antiquiorem fuisse pro certo statuo. Fortasse a Tullo Hostilio rege primum est provocatum, ut Tullius p. Milon. 3. Horatii iudicium *primum de capite* posset appellare, ius autem permultum ante habuit auctoritatem; quod Livius denotat verbis *Tullo Hostilio clemente legis interprete.* Vocabulum *legis* non in universum est explicandum, sed certam designat legem, in qua de provocatione aliquid erat scriptum, cuius Tull. Hostilius non fuit *lator*, sed *interpres* modo. Suspicor autem, legem qua Horatius accusatus ad populum provocavit, a Numa Pompilio datam eandemque fuisse, cuius Paulus Diaconus mentionem fecit v. parrici quaestores p. 221 ed. Muell. Hoc auctore Numa legem de parricidio tulit, cui provocationis formulam et explicationem adscriptam fuisse opinor. Id quoque constat, regum aetate provocatum esse ad curias, in quibus populus priscus i. e. gentes patriciorum, qui soli cives erant, suffragium ferebant. Plebis nullam fuisse provocationem per se patet, cum ante Servium Tullium nulla esset plebs, quae in civibus numerari posset.

Magis dubium est, qualis fuerit illius aetatis provocatio. Ambitum haud amplum statuit Rubino l. l. p. 430 — 498. discrimen ponens inter regem cum consilio iudicantem interque magistratus minores rege iubente iudicantes, illum sententiam tulisse provocationi haud obnoxiam, ab his datam esse provocationem. Deinde affirmat, non omnium rerum fuisse provocationem, sed perduellionis tantum. Verum quod de universo Rubinonis libro iudicandum est, etiam h. l. valet, eum regis potestatem nimis auxisse, populi maiestatem arctioribus circumscripsisse terminis, depressisse et minuisse. *) Verba enim Ciceronis *a regibus fuisse provoc.*

*) Hac occasione oblata non possum non, quid de Rubinonis sagacissimo opere iudicem, aperte dicere; qui Vir Doctissimus, cum regum Rom. imperium tanquam summum fingeret, hanc potestatem perfectam non historicae sed mythicae aetatis esse oblitus est. Aetas enim, quae historiae luce illustratur, nec apud Italos, nec apud Graecos tam absolutam vidit regum potestatem, qualem describit Rubino, quod vel ex comparatione a Rubinone allata temporis post Romam conditam cum aetate post Heraclidarum expeditionem patet. Quo tempore cum in Graecia liberae civitates exsisterent, non est consentaneum, Romae quae sapientia rerum civilium aliis gentibus longe maturior erat, regis imperium esse auctum et amplificatum. Veri similius est, hanc potestatem fuisse minutam, quod ubique factum est, cum populi ordinarent rempublicam et veram civitatis indolem intelligere inciperent, in qua utrisque et regi et civibus, termini sunt praescripti, ultra quos progredi neutri fas est.

Huc accedit, quod gentium, e quarum conventu populus Romanus est conflatus, nulla regum potestatem tam perfectam nosset, qualem constituit Rubino. Sabinorum Meddix, quem patriarcham vocare possimus, non habuit tantam auctoritatem, Latinorum rex Senatus populique voluntati erat obnoxius

vereor, ut ad provocationem a magistratibus minoribus sint referenda, quod si dicere voluisset, longe aliter expressisset auctor. Idque omni ratione caret, quod Rubino dicit, Ciceronis aliorumque scriptorum locis provocationis sub regibus mentionem esse factam tanquam rei propter solam raritatem memorabilis at non gravioris momenti (nur als Merkwuerdigkeit angefuehrt Rub. p. 431). Res potius erat summi momenti, qua significare voluerunt, quomodo res publica iam primis annis fuerit ordinata certisque legibus descripta. Tum si Rubino etiam postea magistratus minores cum consilio iudicantes sine provocatione fuisse statuit, hoc omnino non est verum. Magistratus quidem maiores interdum sine provocatione iudicabant, sed ea tantum conditione ac statu, cum pro populo iudicarent i. e. quaestione a populo iis demandata. Aliter non sine provocatione iudicabant, vel soli vel consilio assessorum utentes. Eadem est regum ratio, quos cum consilio exercuisse iudicia et hunc iudiciorum antiquorum fuisse ordinem et regulam, non contradico, sed id fiebat potestate a populo iis lege curiata tributa, ut iurisdictio imperii a populo regi traditi esset pars gravissima. Quapropter non verum est, populum nonnisi rege permittente et concedente iudicasse, semperque tenendum est, populi esse maiestatem, regem vero magistratus locum habere et quamvis rex semper fere iudicaverit, iure tamen populum mansisse summum iudicem et arbitrum, ut, quotiescunque provocatum esset, regis iudicium emendaret et corrigeret. Alium errorem commisit Rubino, eo quod putat, regem, neque cum ut imperator eorum, qui contumacia vel arrogantia elati regiae potestati non obedirent vindex esset atque ultor poenasque pro arbitrio et voluntate imponeret, neque cum verus iudex esset — excepta perduellione — provocationis vinculo fuisse vinctum. In prioribus iudiciis, quae disciplinae servandae inserviunt, ampliorem habuisse potestatem et lege Valeria demum harum rerum provocationem esse datam, recte animadvertit Rubino, sed quod ad vera iudicia attinet, amplior erat provocationis ambitus rerumque, quarum permissa erat provocatio maior copia. Lex enim a Rubinone proposita tam simplex est et aperta, ut Cicero aliique scriptores eius mentionem facere non omisissent. De perduellione iudicasse populum non dubitat Rubino, at quid impedit, quominus etiam de reliquis criminibus iudicasse concedat? Tenendum enim est, provocationem tanquam praesidium libertatis contra regum violentiam patricios impetrasse impetratamque semper custodivisse et servasse, neque populum de perduellione iudicasse veri iudicis partes agentem, sed provocatione appellatum, ut si accusatus non provocasset, condemnari et interfici posset. Cur hanc auxilium summi sceleris accusato reservare, in reliquis autem facinoribus regis imperio obnoxii esse voluerint patres, causa non potest afferri. Caput civium munitum esse debuit contra iniustam vim, quare in omnibus causis, quae periculum capitis haberent, civis poterat provocare, sive perduellionis sive parricidii sive proditionis aliorumve criminum esset accusatus. Rubino, ut harum rerum provocationem praecludat, parricidium Horatii, qui ut omnes testantur ad populum provocavit, perduellioni vindicat; sed angusti huius dissertationis termini non sinunt de utroque crimine, quod subtile et accurate discernit Rubino, copiosius quaerere, quare disputationem huius rei in aliam occasionem differens hoc tantum moneo, utrumque crimen illo tempore non fuisse ita separatum ac distinctum (ne antiqui quidem scriptores quo nomine Horatii crimen appellandum esset sciebant, sed dubii haerebant aliique aliter vocabant), neque leges de provocatione tam accurate definitas,

---

(Dion. III, 2 30. VI, 62), denique Etruscorum Lucumo coss. Romanorum instar non amplius annum regnabat neque absoluta potestate erat creatus. Praeter haec alia, quae contra Rubinonem videntur facere, protulerunt Goettlingius in Gesch. d. Roem. Staatsverfass. p. 510 — 516, et Peterus in Jahn., Seeb. et Klotz. Jahrb. 1840. X, 29, p. 243 — 262.

quod ex tota narratione intelligitur. His expensis haud longe a vero errare mihi videor statuens: provocationem a regibus in his tantum causis fuisse coarctatam et plane vetitam, ubi civis propter contumaciam et superbiam in superiores poena dignus videretur (lege Valeria in his quoque causis data est provocatio, ut Cic. de rep. I, 40. verbis *provoc. omnium rerum* significat, quae Rubino p. 438. perperam ad iudicia trahit. Etiam dictator in his rebus regis instar provocatione non erat constrictus et impeditus, donec posteriori tempore vel hac ratione limitibus se circumscribi passus esset), in omnibus autem causis, quarum penes regem erat iudicium (h. e. iudicium ex accusatione, defensione et sententia constans), unicuique civi (scil. patricio) licuisse ad populum provocare h. e. repudiare iudicem ordinarium et appellare populum summum iudicem. Ut posteriori aevo accusato permissum erat, inter iudices eos reiicere, quibus fidem non habebat, sic regum tempore a rege et a vicariis illius, quos iustos et incorruptos non putabat esse futuros provocatio erat data. Addendum est, hanc provocationem in rebus minutis et exilibus locum non habuisse, sed in gravioribus et ad capitis periculum pertinentibus.

Quae conditio mutata est Servio Tullio regnante, qui primus toti populo in comit. centuriatis congregato et de provocatione et fortasse omnino de capite civium summum dederat iudicium. Plurimi quidem Virorum Doctorum consentiunt (Walraven [praes. Tollio] de quaest. rerum capitalium in cives Rom. variis temporibus varie exercita, Schroeter observation. iur. civ. p. 19. Niebuhr I, p. 535. II, 191. 362. Gerlach d. Verfassung des Serv. Tull. p. 21. Burkhardt d. Criminalgerichtsbarkeit in Rom, p. 13. Walter Gesch. d. R. R. 96. rel.), com. centuriata duodecim tabulis accepisse iudicia, mihi vero hoc permultum ante vel Servio Tullio regnante vel lege Valeria factum esse persuasissimum est. Hoc saltem certum, Servium Tullium iudicia de provocatione tribuisse comitiis centuriatis, de iudiciis capitalibus in universum dubium potest esse, quia utrumque fieri potuit, ut Serv. Tullius summis iudiciis de provocatione ad cent. translatis, iudicia populi de omni crimine capitali aut nondum institueret aliquanto post lege Valeria ordinata, aut sanciret, ut com. cent. provocata et non provocata de omnibus criminis capitalibus decernerent, quod lex Valeria renovaret et instauraret. Utrum haec an illa sententia sit praeferenda praedicare non audeo et converto me ad argumenta examinanda, quibus doceatur, duodecim tabulis com. cent. summa iudicia accepisse. Nulla sunt praeter Ciceronis locos supra citatos, quibus aperte dicitur, duodecim tabulis com. cent. summa iudicia esse constituta (de leg. III, 4. 19. de rep. II, 36. p. Sest. 30. 34.) — constituta dico? quidni servata potius et retenta, qualia ante fuerant? Neminem enim fugit, opinionem illam, qua XII tabulae multa nova eaque extrinsecus deprompta contineant, obsoletam esse et falsam. Verius est, decem viros omnia instituta, quae usque ad ipsorum aetatem usu et consuetudine diversarum, ex quibus constabat populus Romanus, gentium sancta et firmata erant, collegisse eo consilio, ut non solum scriptae leges exstarent, sed ut cives plebeii patriciique et in his Ramnes Tities Luceres instituta acciperent communia et ne quis amplius excluderetur ceterarum tribuum iure. Quare quae apud singulas populi partes valerent usui communi in tabulas receperunt; nova autem et inaudita iis non licuit instituere, neque summa iura, ut populi iudicia, paucorum virorum arbitrio et libidine mutari passi sunt Romani. Quapropter centuriarum iudicia iam ante XII tabulas in usu fuerint necesse est. Deinde non est credibile, Servium Tullium regem, cuius quis finis fuerit, luculenter exprimit Dionysius,*) quum omnem vim et potestatem

*) Ὁ δὲ Τύλλιος οὐκ ἐν μόνοις τούτοις τοῖς πολιτεύμασι δημοτικὸς ὢν ἐδήλωσεν, ἐν οἷς ἐδόκει τὴν δὲ τῆς βουλῆς ἐξουσίαν καὶ τὴν τῶν πατρικίων δυναστείαν ἐλαττοῦν etc.

penes universum populum in centurias divisum vellet esse, tam gravem tamque egregiam eius partem, qualis est summi iudicii, populo universo non dare et sic opus suum imperfectum relinquere voluisse. Neque possum divinare, a quibus comitiis summa iudicia exerceri voluerit — a curiatis? at haec de appellationibus modo iudicaverant et imperio, quo hucusque fruerentur, erant privata. Fortasse a tributis? at prisca horum indoles longe alia erat, legimus enim, initio nihil aliud egisse nisi res exiles et a maiestate populi alienas, ut viarum stratarum, cloacarum, aquaeductuum curam, tributi distributionem rell., quibus rebus levioribus non quadrat iudiciorum gravitas et amplitudo. Denique afferam locos ex scriptoribus veteribus, qui nostrae sententiae firmissima sunt testimonia. Primus legitur apud Dion. IV, 35. *), ubi Servius Tullius ipse iudicio populi se subiicere non dubitat. Populus autem est universa gens in cent. classesque descripta. Primi com. cent. iudicii mentio fit apud eundem scriptorem V, 57 narrantem coniuratorum iudicium, quod habetur a populo, SConsulto ante facto. Ne h. quidem l. de aliis comitiis, quam de cent. sermonem esse, singula verba manifeste demonstrant. **) Aeque perspicue loquitur locus VII, 59 ***): Coriolano enim apud tribus accusato postulant patricii, ut apud centurias causam dicat, quod etiam Coriolanus contendit VIII, 6. cf. IX, 46. His locis addendus est Cic. p. Sest. 30. *et sacratis legibus et XII tabulis sancitum esset, ut — neve de capite nisi com. cent. rogari* et Pompon. l. 2. §. 16. Dig. de orig. iur. (1. 2.) *Exactis deinde regibus Coss. constituti sunt duo —. Qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset, neve possent in caput civis romani animadvertere iniussu populi, solum relictum est illis, ut coercere possent et in vincula publica duci iuberent* (i. e. disciplinae servandae causa, de qua re supra diximus). Uterque locus monstrant, post reges exactos iudicia capitalia populo esse tributa, quod nulla alia lege fieri poterat, quam lege Valeria. Hoc tamen incertum est, num lex Valeria hoc prima instituerit an ordinem a Servio Tullio institutum revocaverit, cui sententiae Dionysii verba IV, 35. videntur favere.

Mutatio autem, quam instituit Serv. Tullius si provocationem spectamus, in hac potissimum re conspicitur, ut patricii non amplius de provocatione iudicarent neque soli provocandi haberent ius, sed ut plebeii quoque, ex aerariis et peregrinis ab illo rege cives facti huius iuris essent participes. Quod ad ambitum, nihil mutavit: in disciplina exercenda rex mansit liber a provocatione, in iudiciis gravioribus regis sententia maiori populi potestati erat subiecta. Consideremus nunc aliorum opiniones de hac re, inter quos omnes convenit, non per Serv. Tullium sed post reges expulsos lege Valeria provocationem a curiis vel ad centurias vel ad tribus esse translatam. Opinionem, comitia tributa per legem Valeriam de plebeiorum provocationibus iudicandi accepisse ius, quam post Niebuhrium defenderat Walterus (Geschichte des Roem. Rechts p. 83, nuper enim reliquit p. 854.), non opus est, ut refellam post Rubinonem p. 433—439. Neque magis placet Burkhardi (die Criminalgerichtsbarkeit in Rom) opinio. qui quidem in eo recte vidit, centurias initio de provocationiibus iudicasse, sed iure nimis coarctato addit: plebeiorum, nam quomodo fieri poterat, ut comitia centuriata s. maximus comitiatus totum populum complectens de una nec de utraque civium parte iudicaret?

---

*) καὶ συγκαλέσας τὸν δῆμον παρέξομαί σοι δικαστὴν ὧν ἄν μου κατηγορήσῃς, καὶ ἀποδώσω πάλιν αὐτῷ διαγνῶναι, πότερος ἡμῶν cett.

**) — ἐὰν τῷ δήμῳ ταῦτα δοκῇ. τοῦ δὲ συνεληλυθότος ὄχλου κύρια ποιήσαντος τὰ δόξαντα τῇ βουλῇ cett.

***) καὶ τότε πρῶτον ἐγένετο Ρωμαίοις ἐκκλησία — φυλετική (com. trib.) πολλὰ δ' ἐναντιουμένων τῶν πατρικίων — καὶ τὴν λοχῖτιν (com. cent.) ἀξιούντων συνάγειν ἐκκλησίαν, ὥσπερ αὐτοῖς πάτριον ἦν.

Deinde mira est suspicio, centurias hoc ius XV annis post amisisse et tribus plebeiorum accepisse provocationes; XII tabulis autem centurias hoc ius recuperasse itemque de patriciorum provocationibus ferendi suffragium. Mutationes tam brevi temporis intervallo factae abhorrent a prudentia Romanorum civili neque ulla ratione ex scriptoribus aut argumentis ex re ipsa sumtis possunt fulciri.

Omnium autem minime probanda est novissima Walteri coniectura (l. l. p. 854.), quam olim proposuerat Schroeterus in observationib. iur civ. p. 19, comitiis curiatis per legem Valeriam plebeiorum provocationes esse traditas, quum ante de patriciorum modo provocationibus iudicassent. Falsus est Walterus errore Niebuhrii, qui olim statuerat Gesch. I, p. 467 seqq. vocabula δῆμος et *populus* significare *patricios* s. com. curiata, de quibus vocabulis quum postea iterum agam, hoc loco nihil addam praeter hoc, locis ab Waltero allatis *populum* non curias sed universum populum comitiorum centuriatorum significare (Dion. V, 19. 70. Cic. de rep. II, 31. Liv. II, 8, 27. 55. Pompon. l. 2. §. 16. D. de orig. iur. I, 2). Ut de lingua nihil dicam, obstant aliae rationes: 1, potestas provocandi plebeiis concessa nullius fuisset pretii, si ad patres provocandum esset, nam plebeii a magistratibus patriciis ad patres partium studiosos iudicisque gentiles provocantes aliam sententiam quam a magistratu latam exspectare non poterant. 2, Deinde plebeii curiarum non erant participes — quomodo ad haec comitia provocare poterant? Quare firmum est atque fixum, legem Valeriam neque curiis neque tribubus plebeiorum provocationes tribuisse, sed centurias, quibus a Servio Tullio hoc concessum erat, denuo confirmasse, quae confirmatio non erat superflua, quia Tarquinius Superbus institutiones Servii Tullii populares omnino sustulerat. De curiis hac lege nihil est mutatum, sed patricii eodem modo ac plebeii centuriarum auxilium invocare erant coacti, cum Servius Tullius curiarum iudicia funditus sustulisset. Probant autem nostram de lege Valeria sententiam scriptores, qui ubi provocationis et legis Valeriae mentionem faciunt, nunquam curias aut tribus appellant, sed aut de populo loquuntur aut de comitiis centuriatis cf. Liv. II, 8. III, 55. X, 9. Dion. V, 19. 70. VII, 41. IX, 39. Plut. Public. 11. comp. Sol. cum Publ. 2.

Restat alia quaestio, num comitia centuriata provocationem a Servio Tullio acceptam lege Valeria confirmatam semper retinuerint, an comitiis tributis hanc vim tradiderint. Plebeiorum provocationes non diu a centuriis sed mox a tribubus fuisse iudicatas contendunt Burkhardus l. l. et Walterus l. l. idque factum esse censent post tribunos plebis creatos. Walterus ut veram esse hanc opinionem certis doceat argumentis citat Laur. Lydum de magistr. I, 44. (p. 155. ed. Bekk.) *) et Zonar. hist. II, p. 26. c. **), qui quod probandum erat non probant. Lydus dicit: Consules non potuisse civem punire contra voluntatem tribunorum, quae sententia recte se habet, nam si quis poenam iniustam se passurum esse crederet, tribunos appellabat, ut intercederent et intercessione sua, quominus exsequerentur consules sententiam, impedirent. Tribunos hanc potestatem habuisse, vix attinet exemplis probare, cum neminem fugiat. De plebe h. l. non agitur, neque de comitiis tributis. Explicatio est verissima, ut non egeamus emendatione, quae mihi olim venerat in mentem, ut scriberem δήμου pro δημάρχου et explicarem populum s. comitia centuriata. Neque alter locus, quem e Zonara adscripsit Walterus, confert quidquam ad eius sententiam firmandam et verba sunt minime dubia: si quis iusto maiorem poenam patitur a consulibus, populus (s. comitia centuriata) iudex esto scil. a

---

*) ὥστε τὸν ὕπατον πρὸς θεραπείαν τοῦ πλήθους νόμον ἐνεγκεῖν, μὴ ἐξεῖναι τοῖς ἄρχουσι δίχα ψήφου τοῦ δημάρχου τιμωρεῖσθαι πολίτην.

**) κἄν τις ἐπ' αἰτίᾳ τινι παρὰ τῶν στρατηγῶν προστιμωθῇ, ἔκκλητον ἐπὶ τούτοις τὸν δῆμον δικάζειν ἔταξαν.

reo provocatus. Δῆμον est universus populus neque de tribubus intelligendum, in quo Walterus ipse sibi non constat alio loco hanc vocem curias explicans. Niebuhrius autem sine ulla ratione huic loco superstruxit sententiam suam de multa, cuius, si patriciis esset imposita, certum modum praescriptum fuisse opinatur, quamquam patriciorum mentio est ab h. l. alienissima. Unde satis patet, Walterum his locis uti non debuisse aliaque argumenta esse quaerenda. Quid? fortasse provocatio ad tribus sequitur ex potestate eos in iudicium vocandi, qui contra plebis maiestatem peccassent ut M. Coriolanum? Burkhardus hoc exemplo usus est at non probavit, ex iurisdictione sequi provocationis iudicia. Deinde attulit Liv. III, 54. 55. et Dion. VI, 81; ille provocationis mentionem facit, de tribubus tacet, neque verisimile est, de iis cogitasse, hic omnino non loquitur de provocatione. Quae cum ita sint, ad tribus provocatum esse non nego, sed Sigonium, qui primus de comitiorum iudiciis accuratius disputavit (de iudic. III, c. 5. in libris de antiq. iure pop. Rom. II, p. 692 sqq.) secutus arctioribus limitibus hoc ius circumscribendum censeo. Certum est, tribus nunquam facultatem habuisse poenas capitales civibus imponendi — vide infra —, quare ne provocatio quidem de capite iis est tribuenda. Sed discernendae sunt a causis capitalibus quaestiones de poena pecuniaria s. de multa, quam comitia tributa irrogare poterant reis, ex quo colligi potest, etiam provocationes rerum pecuniariarum iudicasse, quod multae certationem appellat Cic. de leg. III, 3. Videmus igitur, reipublicae tempore provocationem esse separatam interque comitia ita distributam, ut com. centuriata de rebus capitalibus, tributa de non capitalibus iudicarent, qui status mansit non mutatus usque ad quaestiones perpetuas, a quibus cum pro populo iudicarent, provocatio non erat permissa.

(Der zweite Theil dieser Abhandlung, worin von den Volksgerichten ohne vorhergegangene Provocation gesprochen wird, lag dem Unterz. vollständig ausgearbeitet vor, konnte aber wegen des beschränkten Raumes nicht hinzugefügt werden. Der Direktor.)
